

14
1793

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
CHRISTIANVS FRIDERICVS
NVERNBERGERVS

PHILOS. ET MED. DOCT. ANATOM. ET BOTAN. PROF. PUBL. ORD.
MVSEI ANATOM. ET NAT. CVRIOS. INSPECT. ET SOCIET.
OECON. LIPSIENS. SODAL.

ORATIONEM

A

S A M U E L E K U S Z M A

VETERO - ZOLIO ZOLIENSI HVNGARO

THEOL. CVLT.

PROXIMO DIE MERCVRIV

BENEFICII CASSAIANI LEGE

H. L. Q. C.

RECITANDAM

C I V I V M A C A D E M I C O R V U M

FREQVENTIAE

COMMENDAT.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-669295-p0003-7

DE MILITIBVS AMICITIA DEVOTIS.

COMMENTATIO VII.

Populorum barbarorum plerisque haec olim
infedit opinio, in rege ac duce, atque aliis,
quos procerum nomine insignire possis,
imprimis, vbi prudentia aliisque dotibus praef-
starent eminentibus, esse aliquid supra huma-
nam, quae vulgo est, naturam: cum vero praet-
ter illas vel virtute bellica excellerent, tunc
nescio, quantum ceterarum quoque virtutum,
quas noscebant, omnium in iis perspicere sese
putarent lumen. Inde procul dubio accidit,
non tantum ut vitam pro regis salute animo
aequo deponerent, vitaque eius ipsius extincta
vsuram suae nefas ducerent, verum etiam ut
hic mos non vnius modo populi in finibus
frequentaretur, sed multo plures gentes eum
colerent ac seruarent. Hinc consuetudo ista
non solum in Gallia vetere fuit obuia, sed de
Hispanis etiam aliisque populis praedicatur ab
histo-

historicis. Author enim huius rei non conte-
mnendus Plutarchus est in vita Sertorii (p. 575
edit. Xylandri) his verbis: Ἐθερσ ὄντος Ἰβηριας,
τας περι τον ἀρχοντα τεταγμενας συναποθησκειν
ἀντω πεσοντι, και τυτο των ἐνει βαρβαρων κατα-
σπεισειν ὄνομαζοντων, τοις μεν ἀλλοις ἡγεμονιν ὀλι-
γοι των ὑπασπισων και των ἑταιρων, Σερτωρια
δε πολλαι μυριades ἀνθρωπων κατεσπεισοτων,
ειπτας ἥκολης θεν. Λεγεται δε προς την πολει τρο-
πης γενομενης, και των πολεμιων ἐπικειμενων, τας
Ιβηριας ἀμελησαντας ἀντων, τον Σερτωριον σώζειν,
και τοις ἀλοις ἐπαραινειν, ἀλλας προ αλλων, ἀνα-
ποφισαι προς τα τειχη. γενομενα δ εν ασφαλει
τας ἀρχοντος, ὅπω τρεπεθαι προς Φυγην ἐνασον
ἀντων. Erat in Hispania mos, ut cohors prae-
toria una cum imperatore cadente obiret mor-
tem, quod vocabant illius regionis barbari de-
nitionem. Ceteros imperatores pauci stipatores
et amici, Sertorium vero multa millia mortali-
um, qui sese deuouerant ad mortem cum eo simul
oppetendam, sequebantur. Fama autem est,
cum prope oppidum quoddam essent fusi instan-
tibus hostibus, sui immemores Hispanos, ut Ser-
torium seruarent, elaborasse, humerisque eum su-
stollentes, alios prae aliis extulisse in murum.
Collocato iam in tuto imperatore, tum denique
fugae quemque consuluisse. Huic iungendus
quoque est Strabo, commemorans (l. III. 165.)

hos deuotos de salute sua desperantes vel sum-
to veneno vitam suam profudisse. Ἰβηριον οὐα-
το ἐν ἔθει παρατίθεσθαι τοξικον, οὐον τεθεσεν
ἐν βοτανῃ σελινῳ προσομιας, ἀπονον ὡς ἔχειν ἐν
ἔτοιμῳ προς τα ἀβελητα οὐα το κατασπενδειν
ἀντει, οἰς ἐαν προσθονται ὡς εποθησιεν αντει
ὑπερ εαυτων. Hispanici quoque moris est, toxi-
cum proponere, quod illi absque dolore necans
conficiunt ex herba quadam opio simili: ut in
promptu sit, si quis casus acerbior eos urget,
et quod se pro iis, quorum amicitiam amplectun-
tur, deuouent, mortemque adeo pro iis appetunt.
De Celtiberis sigillatim eandem praedicat con-
stantiam Seruius ad Virgilii Georgica (4.v.217.)
loco e Sallustii Historia deperdita petito. Pu-
tata enim, poetam ibi respexisse huius nationis
erga regem suum fidem. Traxit hoc, inquit,
de Celtiberorum more, qui, ut in Sallustio legi-
mus, se regibus deuouent et post eos vitam re-
futant: adeo illis ingenita est sanctitas regum no-
minis. Suffragatur Sallustio cum in re ipsa tum
in laude Celtiberorum Valerius Maximus (II, 6,
II.) narrans, eos nefas ducere proelio superes-
se, cum is occidisset, pro cuius salute spiritum
deuouerant. Quibus addit: laudanda populo-
rum animi praefrantia, quod et patriae incolu-
mitatem fortiter tueri et fidem amicitiae con-
stanter praestandam arbitrabantur.

Redea-

Redeamus vero ex diutinis per varias
gentes erroribus in Germaniam patriam, et ve-
terum incolarum eius fidem amicitiaeque san-
ctitatem etiam parumper contemplemur. Ut
enim hic taceamus, quod Tacitus refert, non
casum, nec fortuitam conglobationem turmam
fecisse in acie, aut cuneum, sed familias et pro-
pinquitates, quorum quippe necessitudo iam
amicitias iungeret, iunctasque teneret; Caesar
ea refert, quae a nostro loco multo minus alie-
na sunt habenda. Horum enim pugnandi ra-
tionem in bello cum Ariouisto satis ille cognos-
cere potuit, inde eam etiam descripsit de bello
Gallico (c. I, 48.) *Equitum millia erant sex, to-*
tidem numero pedites velocissimi ac fortissimi;
quos ex omni copia singuli singulos, suae salu-
tis caussa, delegerant. Cum his in proeliis ver-
sabantur, ad hos se equites recipiebant: hi, si
quid erat durius, concurrebant: si qui, grauiore
*vulnere accepto, equo deciderat, circumstie-
bant: si quo erat longius prodeundum, aut ce-*
lerius recipiendum, tanta erat horum exercita-
tione celeritas, ut, iubis equorum subleuati, cur-
sum uadequarent. Loquitur igitur, ut b. Moro
ibi adnotauit, de eo imprimis genere pedi-
tum, qui a Graecis ἀμπττοι sunt dicti, vberius-
que describuntur ab eodem Moro ad Xenophon-
tis Historiam Graecam, (vii, 5.) cui addi possunt,

quae Freinsheimius ad Curtium collegit (vii, 7.)
Erant enim hi pedites assidui equitum comites,
et vel post eos ita in equis sedentes, ut, si ne-
cessè esset, desilirent ac pedites pugnarent, vel
rursus, re flagitante, saltu se leuarent in equos,
et velociter cum equitibus aufugerent. Quam-
quam igitur equitibus hisce Germanorum arbit-
rium erat concessum, e peditibus suae salutis
causa legendi sibi comitem, quem vellent: ta-
men non parum intererat, vtrum quemcunque
legerent sibi obuium, an certas inirent delectus
rationes. Optio enim fortuita atque temera-
ria simul erat periculosissima, praesertim cum
alter lectus forte minus spectatae esset virtutis
et fidei. Igitur, quod statim apparet, saluti
suae optime consulere non poterant alio modo,
quam si praeter armorum et equitandi dexteritatem,
agilitatem et velocitatem corporis, fidei
quoque atque amicitiae constantiam, quae
vtramque hic facere debebat paginam, semper
respicerent, nec alium sibi adiungerent, nisi qui
satis diu esset cognitus, satisque probatus in
omnibus. Nemo peruidere poterit penitus,
quomodo alias consequi possent, quod cuilibet
ante omnia alia erat optandum ac spectandum,
videlicet ne destituerentur a comite pugnaeque
socio in confictu vitaeque suae discrimine, vbi
vel maxime fido amici auxilio erat opus.

Neque

Neque tamen gloriam fidei Germanorum erga amicos tantum celebrarunt veteres auctores, sed etiam parem constantiam in ducum amore ad mortem usque immutato. Hos enim, siue regum, siue principum, aut alio quocunque nomine appellarentur, perpetuo cultu deuotoque animo perinde venerati sunt, ac alii populi iis finitimi suos imperatores amplexi sunt. Hoc igitur nomine saepius a Tacito, vindice memoriae rerum Germanorum eximio, laude ornantur non vulgari. Quis enim est, qui in libello morum eorum interprete non legerit relatum, hic quoque principes insigni aliorum comitatu, nisi semper, certe in proeliis, fuisse stipatos, qui in plurimis saltem cum Gallorum Solduriis conuenit, ut bene iam obseruauit Anchersenius (p. 175. de Solduriis). Quorum igitur comitum fidem in promtu posuit Tacitus (c. 14. l. 1.) *Cum ventum, ait, in aciem, turpe principi virtute vinci; turpe comitatui, virtutem principis non adaequare.* Iam vero infame *in omnem vitam ac probosum, superstitem principi suo ex acie recessisse.* Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare, principum sacramentum est. *Principes pro via-
toria pugnant: comites pro principe.*

Confirmantur haec optime iis, quae de Germanorum rege Chnodomaro a Romanis, post

post varias clades ipsi illatas, in aggere tandem obfesso, relata reliquit Ammianus Marcellinus, queque simul testatum faciunt, nihil istius moris ac fidei per longum temporis interuallum suisse intermissum aut immutatum, sed seculo adhuc quarto amicitiae erga reges, animique iis deuoti sanctitatem in publicam ipsiusque principis salutem tam vitem eluixisse. Sic enim ille (l. XVI, 12.) *Computus ad ultimos metus*, (*Cinodomarus*) vltro se delit, solus egressus: comitesque eius ducenti numero, et tres amici iunctissimi, flagitium arbitrii post regem viuere, vel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere sevincendos. Quamquam vero nonnulli alii supersunt populi, qui militum amicitiae religione sibi addictorum agmen constituant: tamen hos alii tempori seruabimus. Nunc enim, cur haec praefati simus, indicanda est causa, officiumque humanitatis oratori nostro pariter ac commilitonibus praestandum. Nobilissimus scilicet ac Doctissimus SAMUEL KUZZMA, Vetero - Zolio Zoliensis Hungarus, beneficio Cassiano obstrictus, laudes Iosephi et Leopoldi, Imperatorum Romanorum, animo tot beneficiorum eorum in ciues suos purioribus saeris imbutos memore ac grato celebrabit oratione, merita horum Imperatorum in religionem Euangelicorum Hungariae in aprico ponente. Quoniam igitur hic Vir probus humanitatis imprimis studiis bene iam exornatus ad nos accessit, eorumque amorem perpetuo hic p[re]se tuit et comprobauit, ideoque non vulgaria promittit: spem concipimus certam, fore, vt Vos Commilitones Politissimi, consilium Eius honorifica praefentia Vesta ac frequentia subleuetis ac declararetis, non solum quanti oratorem faciat, sed etiam, Vos in societatem venire praeconii Imperatorum illorum, totam quippe in Germaniam nostram meritis immortalium.

P. P. Dominica Aduent. I.
clioceccxiii.

VI 216

5. + 24. 8 in 2:20

23 = \bar{e}

39 = t .



3

TA \rightarrow 2

vd 18

VD 77

I
04.2.2007 sd,



RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
**CHRISTIANVS FRIDERICVS
NVERNBERGERVS**

PHILOS. ET MED. DOCT. ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD.
MVSEI ANATOM. ET NAT. CVRIOS. INSPECT. ET SOCIET.
OECON. LIPSIENS. SODAL.

ORATIONEM
SAMUEL E KUSZMA
VTERO - ZOLIO ZOLIENSI HUNGARO
THEOL. CVLT.
PROXIMO DIE MERCVRIX
BENEFICII CASSAIANI LEGE
H. L. Q. C.
RECITANDAM
CIVIVM ACADEMICORVM
FREQUENTIAE
COMMENDAT.